

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

hospitium. Reperiemus in illa vanitate montium leonem nostrum, cum quo confabulari licebit. Ex iis, quæ de Disputatione postea addis, suspicor, vos in Suevia Helverios reperisse. Dn Varnbülero renunciabis, nullum esse in hacurbe exemplum libelli Psalmorum, à Theodosio excusi. Quod si Lipsicum ei placet, eadem forma, iisdem typis, eadem umbilicorum varietate, curabo, ut quàm primum habeat. Oetingensi mitto volumina, quæ petiit, quæ tu ei tanquam à te donabis, nos de precio facile conveniemus. Puto me omnia tuæ Epistolæ capita percurrisse, significasse etiam, quæ erant significanda. Quod si qua, ut accidere mihi frequenter solet, exciderant, tu & Erasmus frater percontando sarcietis memoriam meam. Lieblerus ab Hero & à me honorificè tractatus est, ab illo domi nostræ, à me ad insigne Lucernæ, sed literas ei non dedimus, quod negaret, se rectà Tubingam proficisci. Resalutant te & fratrem, quos vestro nomine iussi salvere. Si amicorum, si fratrum, communis omnia, sit hæc quoque communis vobis. Valete, 21. August. 72.

Vester quantus quantus per omnia diuinitate

Pappus.



CXIII.

Non sum leviter conturbatus, à lecta tua epistola, quod videam, quantum Sathanas possit in impediendis bonis consiliis, & labefactanda ministerii autoritate, quam vel maximè sarram tectamque esse oporteat, sed nec dum obtinuit, quod vellet maximè, dum durat eorum consensus, quibus uberiora commissa sunt, & vir linguosus non dirigeret in terra, nec dubito de gratia DEI, quin, si vivam, vel non in multos usque annos, aliam rerum faciem me conspecturum esse sperem. Tu modo quod facis, cum constantia patientiam Christi servo dignam retineas, & te Christo consecres totum, cui militas huc usque, ut gloriosè cum sanctis omnibus, à peracto certamine ritè coroneris. Quæro verò te vehementer, ut subinde me de rebus vestris facias certiozem. Coccius noster mitius habet ex febrî, quam diurnam & molestam tulit, sed nec dum sic restitutus est, ut firma satis uratur valetudine, qui propter ~~non abiecit~~ tuam sanctissimam, gratias tibi agit, neque levi cura propter tuam, tuorumque salutem afficitur. Minister alter, de quo scriperam, nuper sanctissimus collega, etiamnum morbo nimis chronico detinetur, pro quo non desinimus orare, ut donetur Ecclesiæ organum fidele & idoneum. Carterum qui has perfert literas, opus habet tuo consilio, meus ~~augustinus~~ hæctenus, juvenis honestissimus,

stissimus, quem tibi commendo, ac quid requirat, ipse docebit. Ex Gallia horrenda narrantur de cæde seu latrocinio Amiraldis, aliorumque Heroum insignium, quæ vobis isthic nimirum compertissima sunt. Nunc id orandum unicè, ne vindictam quærendo nostri, vindicem DEI manum impediant, quem certum est requisiturum sanctorum fufum sanguinem. Regem Polonum accepisti indubiè esse mortuum, in cuius vicem ad electionem designati sunt, Carolus Austrius, Mosci item filius, Suecus & Brutenus, ad finem hujus mensis peragetur electio. Faxit Dominus, ut regnum hoc amplum & populofum caput fortiatur sanum, & piè affectum. Pluribus nunc non possum propter occupationes. Commendo te gratiæ DEI, cum uxore, totaque familia, ac symmiftis fratribus. Scripsi Basileæ. Kalend. Septembr. Anno 72.

T. d. ex animo Collega & frater

Simon Sulcerus. D.



CXIV.

Salutem in Christo Jesu. Reverende & Clarissime Vir,

Domine & frater charissime.

Quod aliquot literis à me & collegio nostro contendisti, id non tam propter literas & personam tuam, quam propter insignes virtutes & dona DEI præsumimus libentissime, quibus Dominus filios tuos ornavit. Vixerunt apud nos piè, honestè, sanctè. Studiis suis invigilarunt diligentissimè, lectiones omnes audiverunt sedulo, Disputationes & publicos congressus neglexerunt nullas, in Theologicis opposuerunt omnibus, publicè uterque cum dignitate & approbatione omnium responderunt, & inter hos M. Philippus per integram biduum, in quo propemodum & ipsum & me confeci. Quid vis amplius? O parentem felicissimum, cui aspectu talium filiorum frui licet! Facturi essemus plura, si quæ præstari alia officia potuissent. Quod ad Wittebergenfes attinet, tractavi illos ego pro dignitate. Nec erubui eos publicè proditores veritatis appellare. Constitui autem, quæcunque argumenta opposita sunt, in debitam formam redigere, & nunc cum meis solutionibus Disputationi adjuncta demum edere. Ut omnes videant, quid oppositum & quid responsum sit. Quod si deinceps vel Wittebergenfes vel Heidelbergenses sese mihi opponere voluerint, invenient me, Domino volente, in omnem eventum paratum. Valde autem gratulor & Ecclesiæ DEI, & tibi, & mihi, & filiis tuis, quod hæc disputatio in tuum filium inciderit, quem in Saxonia habituri sumus vivam Epistolam, apud omnes Ecclesias & Academias. Et quomodo expetant nostram operam

l i i

Saxo-